

Fredericus dei gratia Romanorum imperator augustus.

Ad promerendam a rege regum eterne beatitudinis coronam ac^a temporalis imperii gubernationem tranquillam nobis suffragari speramus, si religiosarum petitiones personarum circa ecclesiarum necessitates clementer attendamus. Noverit igitur imperii Romani fidelium presens etas et futura, quod nos intuitu divine retributionis et simul ob petitionem dilecti nostri Stephani, venerabilis abbatis sancte Marie Montis Mauri apud Cesenam, monasterium idem, scilicet sancte Marie, cum omnibus pertinentiis suis^b, ubicunque site sunt, in nostre tuitionis speciale patrocinium et mundiburdium suscipimus^c et omnes possessiones, quas eadem ecclesia iusto hactenus acquisitionis titulo possedit et tenuit vel inantea rationabiliter acquirere poterit, imperiali nostra auctoritate ei confirmamus. Precipimus ergo, quatenus nec in ipso Monte Mauri nec in ceteris usquam^d locis ullus unquam marchio, comes, consul, capitaneus aut ulla prorsus^e persona, magna vel parva, secularis aut ecclesiastica, presumat pertinentias eiusdem monasterii, villas, castella, agros, vineas, pascua, terras cultas et incultas et quaslibet possessiones illius ecclesie aliqua perturbare violentia aut aliqua exactione seu indebito servitio gravare aut occasione commendationis guardie vel advocatie infestare, salva tamen pensione, que cuilibet inde iure legali debetur, et salva in omnibus imperiali iustitia et episcopali iure. Statuimus preterea, ut liceat abbati predictae ecclesie possessiones iure emphiteotico concessas post lapsum personarum nostra auctoritate intrare et in eiusdem ecclesie libera iurisdictione tenere et gubernare, nisi in emphiteotico instrumento contineatur, quod debeat renovari. Statuimus etiam^f, ut, si quis tenens ecclesie illius possessiones canonem inde constitutum usque ad biennium expletum contra abbatis voluntatem detinuerit et non solverit, abbas item nostra^g auctoritate possessiones illas^h libere ingrediatur et in sua iurisdictione ad usum ecclesie sue teneat et disponat; et hicⁱ, qui debitum canonemolvere neglexerit, ius possessionis illius omnino amittat. Mandamus^k autem omnibus imperii nostri fidelibus, ut eandem ecclesiam sub nostra protectione constitutam et imperio specialiter attententem ubique studeant manutenere et ab omni iniuria et molestia occursu defensare. Si quis vero ausu temerario

a) et 2. b) eius 1. c) suscepimus 2. d) fehlt 2. e) presens 1.
 f) preterea 2. g) fehlt 1. h) possessionem illam 2. i) is 2. k) commendamus 1; commendamus 2.